

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES**

**UNIVERSITY OF TORONTO**

*Level One Medieval Latin Examination*

**13 April 2015**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

\*\*\*\*\*

**1. Some important provisions of Magna Carta (1215)**

38. Nullus ballivus ponat decetero aliquem ad legem simplici loquela sua, sine testibus fidelibus ad hoc inductis.

39. Nullus liber homo capiatur, vel imprisonetur, aut disseisiatur, aut utlagetur, aut exuletur, aut aliquo modo destruatur, nec super eum ibimus, nec super eum mittemus, nisi per legale iudicium parium suorum vel per legem terre.

40. Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differemus rectum aut iusticiam.

41. Omnes mercatores habeant saluum et securum exire de Anglia, et venire in Angliam, et morari, et ire per Angliam, tam per terram quam per aquam, ad emendum et vendendum, sine omnibus malis toltis, per antiquas et rectas consuetudines, preterquam in tempore gwerre, et si sint de terra contra nos gwerrina; et si tales inveniantur in terra nostra in principio gwerre, attachientur sine dampno corporum et rerum, donec sciatur a nobis vel capitali iusticiario nostro quomodo mercatores terre nostre tractentur, qui tunc inveniantur in terra contra nos gwerrina; et si nostri salvi sint ibi, alii salvi sint in terra nostra.

## **2. What Aeneas Silvius Piccolomini (Pius II) discovered about Scotland and the Scots**

De Scotia haec relatu digna invenit: insulam esse Angliae coniunctam, in septentrionem portentam, ducenta milia passuum longitudinis, quinquaginta latitudinis habentem; terram frigidam, paucarum frugum feracem, magna ex parte arboribus carentem; subterraneum ibi esse lapidem sulphureum, quem ignis causa dofodiunt; civitates nullos habere muros, domos magna ex parte sine calce constructas, villarum tecta de caespitibus facta, ostia rusticana corio boum claudi; vulgus pauper et incultum, carnes et pisces ad saturitatem, panem pro obsonio comedere; viros statura parvos et audaces, feminas albas et venustas atque in venerem proclives; basiationes feminarum minoris illic esse, quam manus in Italia tractationes; vinum non haberi, nisi importatum; . . . ex Scotia in Flandriam corium, lanam, pisces salsos margaritasque ferri; nihil Scotos audire libentius, quam vituperationes Anglorum; Scotiam duplicem dici, alteram cultam, alteram silvestrem agro carentem; silvestres Scotos lingua uti diversa, et arborum cortices nonnumquam habere pro cibo; in Scotia non inveniri lupos; cornicem novam esse, atque idcirco arborem in qua nidificaverit regio fisco cedere.

## **3. Peter Abelard on imagination**

Ab imaginatione quoque clarum est intellectum disiungi, cum imaginatio quoque sicut et sensus nihil ex ratione deliberet, sed in his rebus quas sensimus, nihil aliud imaginatio sit quam quaedam recordatio, cum uidelicet, re quam sentiebamus absente, eo adhuc modo sese animus per quamdam quodammodo recordationem sensus affectum retinet, quomodo ante erat cum sentiret, nihil nunc quoque per imaginationem ex ratione deliberans, sicut nec antea per sensum faciebat. Ideo autem per imaginationem adiunxi quia, quando simul imaginatio et intellectus eidem insunt animae sicut frequenter sensus et intellectus, non possumus negare quin deliberatio quaedam insit, sed per intellectum non per imaginationem. Est itaque imaginatio confusa animae perceptio sine sensu eius scilicet rei quam imaginamur; confusam dicimus, cum nihil ipsa ex ratione deliberet sicut nec sensus. Saepe quippe sentimus ea quae nequaquam intelligentes attendimus, et cum ad exteriora quae occurrunt circumferatur sensus, animus tamen per intellectum ad alia dirigitur.

#### 4. Cassiodorus explains why he wrote the *Institutiones*

Cum studia saecularium litterarum magno desiderio feruere cognoscerem, ita ut multa pars hominum per ipsa se mundi prudentiam crederet adipisci, grauissimo sum, fateor, dolore permotus ut scripturis diuinis magistri publici deessent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent. Nisus sum cum beatissimo Agapito papa urbis Romae ut, sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi ciuitate Syrorum Hebraeis sedulo fertur exponi, collatis expensis in urbe Romana professos doctores scholae potius acciperent Christianae, unde et anima susciperet aeternam salutem et casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur. Sed cum per bella feruentia et turbulenta nimis in Italico regno certamina desiderium meum nullatenus ualuisset impleri, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis, ad hoc diuina caritate probor esse compulsus, ut ad uicem magistri introductorios uobis libros istos domino praestante conficerem; propter quos, sicut aestimo, et scripturarum diuinarum series et saecularium litterarum compendiosa notitia domini munere panderetur, minus fortasse disertos, quoniam in eis non affectata eloquentia sed relatio necessaria reperitur.